

petant aut intelligant exhibere dignatur, nos in sanctissimi famuli sui veneratione laborantes et obprobria irrisorum exprobrantiumque ideo sustinentes mirabiliter ab omnimoda suspecti erroris obiectione eripuit.

10. Nam cum mox post natalicium patroni nostri diem omni instantia omnique devotione iuvenes et senes nostri in destruendo et deportando opus murale, ubi, sicut supra dictum est, eidem patrono nostro dignius receptaculum construendum foret, unanimiter laborassent duasque ebdomadas in hoc labore complevisissent, repente inter lapidum destructorum aggerem magnum, quem rastris iniectis effodere, divellere ac preparare deportantibus certaverunt, quadrangulum lapidem scriptum, iam advesperascente die, invenerunt. Quo invento, astantes illic universi fratres tam pro miraculi curiositate quam legendi studio convenerunt. In quo nimirum lapide, licet aliquantisper a vetustate vel calcis invectione deletis, apertis tamen adhuc literis scriptum erat: 'Emmerammus Aquitanus et Dyonisius Ariopagita hic requiescunt sub Arnolfo imperatore et Odone rege'¹. Hic autem Odo, ut in chronica legitur, rex fuit Galliae. Cumque scriptura hac perlecta omnes simul, acsi e celo fuerit missa, gauderemus ac, mane facto, Deo gratias et laudes, ut mos est pro miraculis divinis, et ipsi cantu publico agere et matriculariis clericis ac sanctimonialibus manifestare censeremus; cum, inquam, huiusmodi consilium difineretur et ex nobis unus lapidem predictum ferens in urbem mitteretur: interea fratribus quibusdam operi supradicto instantibus, inventus est et lapis alius, in quo scriptum erat: 'Sub Eubolone abbate monasterii sancti Dyonisii Gisalpertus furatus est'. Tunc etiam et ille lapis sine mora priori additus^a mittitur clericis demonstrandus. Quibus visis, omnes pene alacriter Deo gratias egerunt et congratulari pariter omnimodo ceperunt. Ideo autem dixi: 'omnes pene', quia scio, utpote qui hos lapides ad monasteria urbana post inventionem primus presentavi, quibusdam hominibus, non dico ullis in habitu secularii constitutis, sed, quod nequius est, specialem vitam professis tantam perfidiae notam tunc inesse, ut non solum Deo gratias minime exhiberent, sed etiam velut muti efficerentur. Qui scilicet adhuc ita invidiae morbo laborant, ut signum tantum irrideant, dicentes lapides descriptos non ita, ut iam dictum est, inventos, sed a nobis fecte effectos. Sed

a) additus c.

1) Diese Inschriften waren lange Zeit noch im Kloster vorhanden; cf. Kraus 'De translatione corporis S. Dionysii Ariopagitae'. Ratisb. 1750 p. 117. SS. XI, p. 344. Der Schrift nach gehörten auch sie dem 11. Jahrhundert an.